

infallibilis in doctrina sive congregata in concilio œcumenico sive dispersa. Fidei controversiarum judex est a Christo instituta. Non Scriptura sacra. Non princeps sæcularis. Non Spiritus unumquemque afflans. Vi promissio-  
num Christi, multitudo Episcoporum cum suo capite conjuctorum paucis  
aliunde reclamantibus præsulibus errorem nec definit, nec pertinaciter  
unquam defendet. Decreto alicui ut pro lege Ecclesie irreformabili habeatur,  
Episcoporum consensus moraliter unanimis sufficit.

ECCLESIE invisible caput, Christus; visibile & communionis totius  
centrum Romanus Pontifex, sancti Petri successor. Cæteris Episcopis jure  
divino superior, honoris et jurisdictionis primatu non secus ac Divus Petrus  
gaudet in universa Ecclesia. In temporalia regum nihil quidquam vel indi-  
recte potest. Nec omnes, nec solos prædestinatos complectitur Ecclesia.  
Catechumenos expectat. Peccatores servat etiam publicos. Hæreticos dolens  
tenet si occulitos. Excommunicatos, Apostatas, Schismaticos respuit. Regi-  
men ejus non pure Monarchicum sed Aristocratis temperatum.

CONCILIA sunt conventus Episcoporum circa fidem, mores, & discipli-  
nam statuentium. Alia provincialia sunt; nationalia alia, alia generalia seu  
œcumenica. Sua singulis inest auctoritas, non eadē omnibus; supremam et  
infallibilem habent œcumenica. Iis preest Romanus Pontifex, vel per se,  
vel per legatos suos. Soli Episcopi ut judices assident. Admittuntur ut con-  
sultores viri theologi. Horum protectores & defensores sunt Principes sæ-  
culares. Patres Concilii Arimin. subscribendo formulæ ab Arianis illatae in  
eorum hæresim intus & animo non sunt prolapsi. Aliis Episcopis per orbem  
tunc dispersis fuerunt numero longe inferiores.

SCRIPTURA Sacra divinum opus. Ejus duplex sensus, litteralis & mysti-  
cus. Nullam essentiali passuum corruptionem, integrum ad nos pervenit  
utrumque Testamentum. Pentateuchus cuius auctor Moyses, vera historia.  
Quatuor Evangelia Mattheus, Lucas, Marcus & Joannes scripserunt. Per se  
utilis scripturarum lectio, omnibus & singulis fidelibus non est necessaria.  
Quibusdam quandoque per accidens nociva. Inde non omnibus indiscrimi-  
natim permittenda. Systema Praeadamitarum figuratum. Primus exiit  
Adam e manibus Dei, qui *Magnus est & faciens mirabilia.*

Has theses, Deo duce, auspice Dei-Para & Preside S. M. N. JACOBO-  
BENEDICTO DAILLAN, sacrae Facultatis Parisiensis, e Regia Societate,  
Doctore Theologo & Professore Regio, tueri conabitur LUDOVICUS LIE-  
NARD Dr BEAUJEU, Presbyter Quebecensis, ejusdem Sacrae Facultatis  
Parisiensis Baccalaureus Theologus, die Veneris vigesima sexta mensis  
Februarii, anno Domini 1745, ab octava matutina ad sextam vespertinam.

IN REGIIS CARMELITARUM SCHOLIS  
PRO MAJORE ORDINARIA.

---